

buerint, quam Tyrii habituri fuissent, eadem miracula; easdem gratias excitantes, eandem omnipotentiam Dei ad concurrentem cum Judæis paratam, quam parata fuisset cum Tyriis concurrere; æquales omnino erant quoad auxilii entitatem et necessaria ad agendum prærequisita: cum vero Tyrii habuissent concursum in *actu secundo* ad pœnitentiam, quia voluissent pœnitere, Judæi vero hunc concursum in *actu secundo* non habuerunt, quia noluerunt pœnitere; sequitur, inæqualitatem hanc refundendam unice in voluntatem et culpam Judæorum, minime in gratiam divinam, quæ nequit esse concurrentis aut cooperans, nisi simul humana voluntas agat et operetur. Similiter quod Deus gratiæ illi, quam dedit, præviderit Judæos non consensuros, non proveniebat ex aliquo gratiæ ipsius defectu, quandoquidem eidem consensuri fuissent Tyrii, sed ex Judæorum propria voluntate et culpa, qui æque ac Tyrii consentire potuissent, et hinc consensuri prævideri.

Inst. 4. Qui eligit nos, ut simus, non quia sumus sancti; prædestinat nos et operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; gratis et non ex operibus nos justificat et salvat; ille non exspectat et explorat an voluntates nostræ consensuræ sint, sed pro suo beneplacito et ex decreto absoluto nos eligit, prædestinat, justificat et salvat: sed Deus ex ep. ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti*; ibid. v. 11. *Prædestinati sumus secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*; et ad Ephes. 2. 8. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur*; ergo.

R. D. M. quoad 1^{am} p. Qui eligit nos, ut simus sancti, prædestinat etc. ille non exspectat nec explorat voluntatem tanquam causam motivam, impulsivam et determinativam ad dandam homini gratiam *C.* tanquam rationem prælucentem aut causam directivam, qua Deus nostro concipiendi modo prius dirigatur; quam quidquam statuat circa liberas hominis actiones *N.* Similiter *D. alt. part.* Pro suo beneplacito et decreto absoluto nos eligit, quatenus hoc independens est ab operibus mere naturalibus et etiam a meritis conditionatis tanquam causa motiva et determinativa *C.* quatenus a conditionatis meritis tanquam causa directiva est independens *N.* Textus allati vim suam et veritatem omnino retinent in nostro systemate. Elegit enim nos Deus, ut essemus sancti, non vero quia futuri eramus sancti *viribus propriis* sine causa et regula, qua certo ducatur, moveatur, vocetur ac determinetur, ut gratiam et sanctitatem largiatur. Deus etiam operatur omnia secundum *consilium* voluntatis suæ, et prædestinat secundum *propositum*; quia licet prævideat, quid homo facturus sit in his vel illis circumstantiis sub hac vel illa gratia, istam tamen conferre non tenetur, sed ex solo beneplacito et pura liberalitate confert. Ne porro offendiculo sint illa verba *expectare, explorare* etc. quamvis a nobis vix adhiberi soleant, facit tum Scripturæ phrasim, qua Deus inducitur loquens Isa. 5. 4. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas*; et Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*: tum sensus, quo minime significamus Deum incertum aut suspensum circa ea quæ futura sunt; sed attentum et curantem ne ulla libertati humanæ vis inferatur, sed ejus cooperatio sit libera.

Inst. 5. Qui ex sua seu gratiæ suæ virtute dat velle et perficere, inclinatur quocumque vult; facit cor novum et carneum, ablato veteri et lapideo; is futuram hominis actionem bonam cognoscit in absoluto dandi gratiam decreto et gratiæ virtute, nec, antequam decernat opus, exploret necesse est quid voluntas hic et nunc actura sit: sed ad Philip. 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate*; Prov. 21. 1. *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud*; Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum... et auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum*; ergo.

R. D. M. Qui ex sua seu gratiæ suæ virtute dat hæc et facit antecedenter seu independenter a prævisione futuri sub conditione effectus, is cognoscit hæc omnia in decreto dandi gratiam solo et seorsim sumpto, et in virtute ipsius gratiæ *C.* qui dat et facit hæc duntaxat consequenter ac dependenter ab illa prævisione *N.* Cum enim Deus in iis, quæ non facit solus, sed concurrente voluntate humana, non agere statuerit nisi salva hominis libertate; nulla autem gratia sit, quantacumque ejus vis supponatur, cui voluntas humana non possit resistere si velit: plane sequitur futurum effectum a Deo non decerni, nisi præviso prius consensu voluntatis futuro sub hac vel illa conditione; neque illum in sola gratiæ entitate aut illius dandi decreto cognosci. Hoc tamen non impedit, quominus Deus effectum, quemcumque voluerit, obtineat, et ipse eundem dare et facere dicatur: tum quia licet inter infinitam gratiarum copiam nulla sit cui voluntas non possit resistere, tamen non omnibus reipsa est restituta aut resisteret, si hæc vel illa daretur: tum quia singulare potentiæ et benignitatis divinæ beneficium est, quod illam gratiam largiatur, qua emolliendam esse contumaciam voluntatis quantumvis maximam prævidet.

Inst. 6. Deus, et non homo, est ratio, qua is, qui bene agit, discernitur ab alio non bene agente, juxta illud 1. ad Cor. 4. 7. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* sed in systemate nostro homo pro statu conditionato per consensum suum est ratio qua discernatur a dissensuro; pro statu autem absoluto Deus ratio discernendi esse nequit; sive per gratiæ auxilia, utpote quæ indifferentia sunt et supponuntur etiam æqualia in utroque; sive per scientiam mediam, utpote quæ Deo non est immediate libera; ergo.

R. 1^o N. Supp. 1^o part. min. Quia in statu *conditionato* nec datur nec dari potest discretio unius ab altero tanquam boni a malo: tum quia qui posita aliqua conditione bene vel male ageret, non est, sed tantum esset bonus vel malus, et hinc non discernitur, sed discerneretur: tum quia qui bene ageret posita hac conditione male ageret sub alia; et vicissim qui sub hac conditione ageret male, bene ageret sub alia: adeoque non est ratio in hoc statu, cur alius præ alio bonus vel malus dicatur.

R. 2^o D. 1^{am} part. min. Homo in statu conditionato se solo esset ratio, cur discernatur *N.* cum gratia *subd.* esset ratio principalis et superior *N.* instrumentalis et inferior *C.* Gratia siquidem divina, quæ tam in conditione, quam in conditionato intelligi debet, elevat, corroborat et adjuvat voluntatem, eamque sollicitat et movet ad actum salutarem; unde eidem in hoc primæ partes debentur præ voluntate, quæ quidem agere non posset, nisi sollicitaretur, moveretur, elevaretur et adjuvaretur.

Ad 2^m part. min. prob. D. Deus discernere nequit pro statu absoluto per auxilia gratiæ indifferentia, ut collocata ex prævisione boni usus N. per ea præcise secundum entitatem sumpta T. Duplex est discretio: alia radicalis et in actu primo; alia formalis et in actu secundo. Primam constituunt Thomistæ in gratia prædeterminante, Nostri autem in gratia intrinsece ac de se quidem indifferente seu repudiabili, sed quæ prævisa est per scientiam mediam conjungenda cum bono usu seu consensu. Sicut autem unius Dei specialis favor et beneficium est ab illo unice dependens, quod Deus hanc gratiam det, cum aliam cum bono usu non conjunctam similiter prævisam dare posset: sic hæc discretio etiam soli Deo convenit ac tribuitur; atque hæc locum tantum habere potest in statu absoluto, cum præsupponat scientiam mediam. Secundam omnes statuunt in ipso salutari consensu: sicut vero hic tribuitur Deo tanquam causæ principali, et creaturæ tanquam causæ principali et quasi instrumentali, sic idem dicendum est de discretione; quæ secundum dicta accommodari etiam potest statui conditionato.

149. Obj. II. S. Aug. in LL. de prædest. Sanctorum et de don. persev. totus in eo versatur, ut contra *Semipelagianos* probet, præscientiam Dei rerum futurarum esse innixam decreto Dei efficaci, nec illam esse priorem. Prob. L. de don. persev. c. 17. n. 42. sic loquitur: *An forte Semipelagiani nec ipsa futura opera bona dicunt prædestinata? ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum nescivit. Quod si et dantur a Deo, et ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit.* Unde sic arguitur: Quæcumque Deus donat et efficit, etiam decreto suo prædefinit ac prædestinat: sed Deus donat et efficit bona opera futura sive absolute sive conditionate talia; ergo ea opera decreto suo prædestinat; et hinc ea in decreto cognoscit.

R. D. Ass. S. Aug. in his Libris totus in eo versatur, ut probet præscientiam rerum futurarum quarumcumque esse innixam decreto Dei efficaci N. Dixit enim L. de præd. Sanctorum c. 10. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Versatur in eo, ut probet, innixam esse decreto Dei efficaci præscientiam rerum bonarum seu salutarium, præsertim autem initii fidei ac perseverantiæ *subd.* rerum salutarium absolute futurarum C. conditionate tantum futurarum N. Licet *Semipelagiani* gratiam confiterentur necessariam ad omne opus bonum et fidei augmentum, contendebant tamen a sola natura haberi tum initium fidei, seu pium credulitatis affectum, quem inter bona opera non computabant, tum perseverantiam usque in finem. Hoc posito errore, ut explicarent quinam ad fidem vocarentur, et vocati bona agerent ac perseverarent, abutebantur scientia conditionatorum, et docebant: 1^o. Quod Deus prævideat homines ex solis naturæ viribus habituros vel non habituros voluntatis illam dispositionem et credulitatis affectum, si vocarentur, et pro hujus prævisionis ratione ad fidem illos vocet, vel non vocet: 2^o. Quod, prout idem prævidet homines cum gratiæ auxilio bona opera facturos, vel non facturos, si gratiam haberent; ita illis etiam gratiam, cum qua perseverarent, det vel non det: 3^o. Quod scientia illa conditionata moveat, impellat et determinet Deum, ut actu vocet vel non vocet ad fidem, det vel non det gratiam: quod proinde fides vocationi correspondens et consensus gratiam subsequens fundetur in illa conditionata scientia tanquam causa, potius

quam in Dei decreto seu prædestinatione; et hinc etiam fides ac consensus absolute futurus prævideatur, qui necdum sit a Deo decretus et prædestinatus.

Contra hos errores opponit se S. Aug. in LL. memoratis, et universim quidem in L. de præd. SS. demonstrat, *initium fidei* etiam esse donum Dei, quod ipsum de *perseverantia* in L. de don. persev. evincit: speciatim vero contra 1^{um}. opponit exemplum Tyriorum, quibus Christus non apparuit, quantumvis credituri præviderentur: contra 2^{um}. urget exemplum Justii rapti e vita, licet peccaturus prævideretur, si diutius vixisset: contra 3^{um}. statuit pro ratione motiva et causa determinativa quæ facit, ut Deus vocet et det gratiam, unam voluntatem Dei et misericordiam ex illo Apostoli, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: contra 4^{um}. denique ostendit: 1^o. quod prædestinatio nullatenus dependeat ex prævisione operum mere naturalium sive absolute sive conditionate futurorum; 2^o. quod neque ab operibus, cum gratia sub conditione tantum faciendis, reipsa autem non futuris, tanquam a causa, motivo et determinativo pendeat; 3^o. quod decretum et prædestinatio sit vera et prima causa operis boni reipsa aliquando futuri, atque hinc nullus effectus bonus absolute futurus possit prævideri, scientia nempe visionis, qui non sit decretus et prædestinatus a Deo. Hanc porro prædestinationem definit *præscientiam et præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*, hoc est, quibus certissime præveniuntur divina gratia eo modo, quo Deus et præscivit eos libere cooperando perventuros ad fidem ac opera bona, et ut pervenirent, singulari misericordia decrevit, et eo illos tempore ex hac vita rapere voluit, quo erant justii; in quo prædestinatio ad fidem et perseverantiam a S. Doctore constituitur.

Ad prob. R. 1^o. C. totum, si in *minore* nihil dicatur de futuris tantum conditionatis; quia absolute futura bona omnino prædestinari a Deo omnes Catholici fatentur.

R. 2^o. D. Quæcumque Deus dat et efficit absolute et actu C. quæ dat et efficit tantum conditionate, aut quæ potius daturus et effecturus tantum esset, si poneretur aliqua conditio, illa decreto quodam actuali et absoluto prædefinit et prædestinat. N. Per hoc, quod nullum opus salutare sive absolutum sive conditionatum possit esse sine gratiæ divinæ auxilio, Deus in statu etiam mere conditionato recte dicitur dare et efficere opus salutare; specialius tamen dat et efficit salutare opus absolute futurum, quia ad illud dat auxilium gratiæ, per scientiam mediam prævisum conjungendum cum opere, ex singulari etiam benevolentia et intentione ut cum opere conjungatur; quod decretum efficax scientiam mediam sequens est prædefinitio et prædestinatio.

Inst. 1. L. de præd. SS. c. 10. n. 49. sic ait: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Inde sic arguitur: Quæ Deus est facturus, in et ex prædestinatione sua præscit: sed Deus omnes actiones nostras liberas est facturus; ergo ex et in prædestinatione sua eas præscit, ac proinde non per scientiam mediam.

R. 1^o. N. min. Quia Deus nec facturus est opera nostra mala, neque etiam conditionate tantum futura opera bona, nec ea prædestinat.

R. 2^o. D. M. Quæ Deus solus et per se solum facturus est, in et ex sua prædestinatione præscit C. quæ facturus est per et cum hominibus libere operantibus *subd.* quæ est absolute facturus C. quæ tantum facturus erat sub

conditione *N.* Præscientia Dei alia est absoluta et visionis, alia conditionata et media. Scientia visionis Deus præscit opera nostra bona absolute futura: hæc autem non sunt absolute futura, nisi quia a Deo prædestinata sunt, seu ex speciali et gratuita Dei benevolentia ad illa datæ sunt gratiæ, quibuscum operatio conjungenda fuit prævisa; adeoque in et ex hac prædestinatione prævidere Deus potest bona opera absolute futura: scientia autem conditionata præscit opera bona conditionate futura; hæc autem Deus non prædestinat seu absolute et actu decernit, consequenter nec ea in et ex prædestinatione prævidet.

Inst. 2. S. AUG. L. de don. persev. proponit hanc regulam: quod ubi in Scriptura et Patribus invenitur nomen præscientiæ, et de vocatione electorum agitur, nomine præscientiæ debeat intelligi prædestinatio. Sic enim c. 19. n. 48. inquit: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Præmiscerat autem c. 18 n. 47. *Unde aliquando eadem prædestinatio significatur nomine præscientiæ; quod cum probasset Scripturæ testimoniis, sic pergit: Præscivit reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo prædestinavit; sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Unde hoc fit argumentum: Si in Deo daretur aliqua præscientia honorum operum independens a decreto, eique anterior, falsa esset generalis ista regula S. AUG.: sed hoc sine injuria tanti Doctoris asserti nequit; ergo.

R. D. M. Si in Deo daretur aliqua præscientia absoluta honorum operum independens a decreto illoque anterior, falsa esset illa regula *C.* si daretur præscientia conditionata independens a decreto *N.* vel *subd.* si daretur præscientia conditionata in sensu et cum abusu Semipelagianorum *C.* Si in sensu et cum usu catholico. *N.* Cum præscientia bonorum operum ut absolute futurorum fundetur in prædestinatione Dei, recte docuit AUG., nomine præscientiæ absolute posse intelligi et aliquando significari prædestinationem: cum vero præscientia operum bonorum conditionate futurorum non fundetur in prædestinatione Dei, quandoquidem Tyrriorum opera fuerunt sub conditione prævisa, quin tamen sint prædestinata; minime docuit AUG., nomine præscientiæ conditionatæ, quam nos cum ipso admittimus, intelligi posse aut aliquando significatam esse prædestinationem; unde latam ab illo regulam in nostro systemate nequaquam falsam esse constat: quia tamen juxta Semipelagianorum errores, quodcumque adulatorum bonum, sub conditione prævisum, est absolute futurum, cum conditionata præscientia Deum moveat ac determinet ad fidem et gratiam tribuendam, et simul præscientiæ potius quam prædestinationi res omnis adscribenda sit; sequitur regulam illam S. AUG. etiam de prædestinatione sub nomine præscientiæ absolute intelligenda in eorum systemate fore falsam, nisi illud rejiciatur.

Inst. 3. Futurum æque ac præscientia futuri, de quibus S. AUG. in LL. laudatis loquitur, sunt conditionata et non absoluta. *Prob.* Quia S. PROSPER in illa Epistola, ad quam respondet his libris AUG., proposuit hanc questionem: *An scilicet ea, quæ sunt a Deo præscita, sint etiam ab eo prædestinata, ita ut præscientia sit subnixæ decreto, vel e contra decretum præscientiæ?* Sed hæc quæstio est de scientia media, et hanc scientiam Dei decreto non innixam rejicit S. AUG.; ergo.

R. N. Ass. Ratio negandi patet imprimis ex *phrasi Augustiniana*, quæ ubi præscientiam aut futurum simpliciter nominat, scientiam et futurum absolutum intelligit, ut ostendunt testimonia n. 134. adducta. Deinde relucet ex conjunctione prædestinationis cum illa præscientia; cum enim prædestinatio juxta S. AUG. sit absoluta et efficax præparatio mediæ salutis efficacium, quæ electis dantur in tempore, et hæc nullo modo spectet ad reprobos, sequitur per illam intelligi non posse decretum objective conditionatum etiam reprobis, quales Tyrri erant, a Thomistis attributum; ac consequenter nec conjungi posse prædestinationem cum scientia conditionata. Postremo colligitur ex scopo, quem sibi præfixum habebat AUG., nempe contra Semipelagianos ostendere, quod fides et perseverantia sint donum Dei; cum vero hoc probet ex eo quod Deus fidem et perseverantiam non tantum præsciat simpliciter, sed prædestinando et promittendo, nihil autem præsciat prædestinando, nisi quod facturus et daturus est; sequitur plane, eundem de absolute futuro et de scientia absoluta sermonem fecisse.

Ad prob. R. 1º. *N. M.* Verba enim PROSPERI (ep. inter Augustinianas 225. n. 8.) hæc sunt: *Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera causarum et species personarum ista varientur; ut quia diversæ sunt vocationes in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixæ proposito: et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore profluxerit.* In his vero verbis, si ea cum facta prius PROSPERI expositione comparentur, tria maxime interrogationum capita ex opinione P. ANNATI continentur; 1º. quidem, an opera salutaria præsciantur a Deo ut meritoria, priusquam in Deo sit propositum, a quo descendat gratia supernaturalis ad illa opera elicienda? 2º. an circa illos qui absque meritis propriis salvantur, scilicet infantes cum baptismo decedentes, detur in Deo propositum absque præcedentia operum, quæ absolute prævideantur a Deo; circa alios vero, qui per propria merita gloriam consequuntur, an dicendum sit, prius a Deo opera absolute prævideri, quam propositum existat? 3º. an absque distinctione dicendum sit, omne opus bonum provenire a Deo ut habente propositum æternæ salutis? In his vero questionibus nihil dubitatur de scientia media, sed, ea supposita, de præscientia visionis movetur vel controversia dogmatica contra Semipelagianos, vel etiam alia de prædestinatione ad gloriam ante prævisa absolute merita, quæ sine errore in fide negari vel affirmari potest.

R. 2º. *N. min.* quoad utramque partem ob rationes nuper relatas.

Inst. 4. Quia S. HILAR. in simili epistola refert, quod Semipelagiani in sui erroris patrocinium adduxerint ex L. de sex QQ. ad Paganos, qui in ep. 49. (al. 102. q. 2. n. 44.) AUG. continentur, illam sententiam, qua dixerat, *CHRISTUS tunc voluisse apparere, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*: sed hoc ipsum testimonium pertinebat ad scientiam conditionatam; ergo. *Conf.* Celebre fuit apud Semipelagianos principium Fausti Regiensis: *Nisi præscientia exploraverit, nihil prædestinatio decernit*:

Sed illa præscientia exploratrix juxta illos erat scientia conditionata; ergo.
 R. *D. min.* Hoc testimonium pertinebat ad scientiam tantum conditionatam *N.* ad scientiam absolutam, et quæ supponit conditionatam *C.* Patet distinctio ex ipsis verbis et ex subjecta altera Augustini responsione, quæ in confirmatione objectionis tertio loco refertur; ubi sermonem de re absolute futura fieri, atque hinc scientiam absolutam explicari manifestum est.

Ad prob. D. m. Illa scientia exploratrix Semipelagianorum erat conditionata, et de futuro naturaliter meritorio, et de futuro ex hac præscientia etiam tanquam infallibili regula motiva necessario extituro *C.* erat conditionata sine his erroribus *N.* Hinc vero liquet, catholicam nostram de præscientia conditionata sententiam minime impugnatam ab Augustino fuisse.

Inst. 5. S. Aug. ea, quæ in epistola 49. (al. 102.) dixerat, et Semipelagiani pro se repetierant, retractat L. de don. persev. c. 9., ut patet tum ex Tyrionum exemplo ibi relato, tum ex S. THOMÆ p. 3. q. 1. a. 5. ad 2. id asserente: in L. autem de prædest. SS. c. 9. n. 18. dicit: *Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant questionem, sufficere videretur.* Et post repetitam priorem sententiam addit: *Sed utrum prædicato sibi Christo, a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, querere atque disserere tunc necessarium non putavi.* Demum subjungit correctionem quamdam prioris sententiæ: *Potest etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Ex his vero, sequitur 1º. eandem in prædestinatione et electione ante mundi constitutionem fundari. 2º. Constat in doctrina Augustini idem esse, Deum solummodo præscire fidem hominum futuram, ac homines illam habituros a se: ei idem esse, habere fidem Deo donante, ac Deum prædestinasse eorum fidem. Cum vero etiam in statu conditionato habeant fidem Deo donante, non autem a se; sequitur et in statu conditionato fidem prædestinari, nec cognosci posse independentem a decreto.

R. Bina doctrinæ capita ad illas Paganorum quæstiones Aug. insinuaverat: 1º. Christum voluisse hominibus apparere, quando et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: 2º. Omnes illos, ad quos Christus non venit, prævisos a Deo incredulos fore, si ad eos venisset. De postremo asserto nihil S. Aug. c. 9. cit. memorat, id tamen retractat alibi, ut ostendimus supra, ex contraria illius sententia in LL. de præd. SS. et don. persev. et ex textu D. Th. omnino constat: de priore autem asserto responsionis loco tria assert: 1º. est, quod confirmet suam sententiam, dum ait: *Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui et quando et quibus locis in eum fuerant credituri.* 2º. quod dicat, *Semipelagianos* vane et falso gloriari suo patrocinio, quasi docuisset, gratiam fidei a Deo illis in tempore concedi, quos ab æterno credituros prænovit, sive ex gratia, sive ex pio quodam naturali ad credendum affectu; propterea quod nec data ab eo responsio aliquid præjudicet latenti Dei consilio aliisque causis, nec quæstionis materia postulaverit aliquid de causis futurorum determinare, circa quas postmodum error

Semipelagianorum duplex exortus est. 3º. quod ad errorem recens exortum confutandum, minime autem ad confirmatam a se priorem sententiam corrigendam scribat, dici posse, Christum voluisse (actu nempe et absolute) apparere et prædicari, quando et ubi sciebat a se esse electos; qua sententia prædestinationem non præmittit scientiæ conditionatæ sed absolutæ. Inde vero patet 1º. seq. esse falsam.

Ad 2º. D. Ass. In doctrina Aug. idem est solummodo præscire fidem hominum absolute futuram, ac homines illam habituros a se; item idem est fidem Deo absolute et re ipsa donante homines habere, ac Deum prædestinasse fidem *T.* tum quia gratiæ ad fidem simpliciter donari a Deo possunt scientia media duntaxat prælucente, non autem dirigente et ex singulari beneficio: tum quia, quamvis in hoc providentiæ ordine, aut etiam connexive sint idem, non tamen formaliter idem sunt; cum præscientia absoluta fidei futuræ præsupponat prædestinationem seu decretum absolutum dandi hominibus ad credendum auxilium, non id physice prædeterminans, sed per scientiam mediam prævisum conjungendum cum effectu. Idem est sumendo præscientiam conditionatam vel fidem conditionate futuram *N. Ass. et Supp.*; tum quia in statu conditionato homines non habent fidem aut ad illam auxilium, sed haberent fidem, si auxilium hoc vel illud haberent: tum quia decretum possibile in conditione importatum non potest esse immediate prædestinativum aut prædefinitivum ipsius fidei, sed solum actus primi proximi et prævenientis gratiæ ad fidem requisitæ.

150. *Obj. III.* Ex doctrina scientiæ mediæ sequuntur plura absurda, e. g. quod Deus non retineat rationem primi moventis, liberi ac determinantis, quod *prob. 1º.* quia ejusmodi primum debet prius eligere et determinare actionem, quod hic non conceditur: 2º. quia antequam Deus libere determinet, scientia media illi representat voluntatem creatam ut se determinantem pro eodem statu, adeoque creaturam exhibet ut primum determinans: 3º. quia ante omne Dei liberum decretum, Petrus v. g. conditionate consensus libere facit, ut detur in Deo scientia media consensus sub conditione futuri; quod ipsum nec facit Deus, nec facere potest, cum ab ipso scientia media non sit determinabilis aut impedibilis.

R. *N. Ass. et prob. 1º.* Falsitas patet ex eo, quod Deus alias unicum esset liberum et determinans. Unde præter rationes alias, illamque D. THOMÆ, qua Deus creaturam determinare dicitur ad bonum in genere, illa autem se ipsam tantum ad bonum in particulari; adtribuendum Deo titulum primi liberi et determinantis sufficere hic potest altera *negativa*, nempe quod Deus vim eligendi et determinandi a nullo habeat alio; altera *positiva*, quod scilicet omnis electio et determinatio creaturæ præsupponat Deum eligentem et se determinantem dare creaturæ facultatem eligendi et se determinandi omniaque ad illam necessaria; atque hoc quidem proportionate pro statu conditionato non minus, quam pro absoluto.

Ad prob. 2º. D. Scientia media representat voluntatem creatam ut se determinantem pro eodem statu sub conditione, si Deus ipse prius se determinavit ad danda ea quæ necessaria sunt ut creatura libera se ipsam determinare queat *C.* independentem a tali conditione *N.* Ex hoc autem, quod per scientiam mediam creatura non videatur se determinatura, nisi